

et circulos locuti sunt; nec quisquam audita morte Agri-
colae aut laetatus est aut statim oblitus. augebat miseratio- 2
nem constans rumor veneno interceptum: nobis nihil com-
perti, *ut* adfirmare ausim. ceterum per omnem valetudinem
5 eius crebrius quam ex more principatus per nuntios visentis
et libertorum primi et medicorum intimi venire, sive cura
illud sive inquisitio erat. supremo quidem die momenta 3
ipsa deficientis per dispositos cursores nuntiata constabat,
nullo credente sic adcelerari quae tristis audiret. speciem
10 tamen doloris animi vultu prae se tulit, securus iam odii
et qui facilius dissimularet gaudium quam metum. satis con- 4
stabat lecto testamento Agricolae, quo coheredem optimae
uxori et piissimae filiae Domitianum scripsit, laetatum eum
velut honore iudicioque. tam caeca et corrupta mens adsi-
15 dui adulationibus erat, ut nesciret a bono patre non scribi
heredem nisi malum principem.

Natus erat Agricola Gaio Caesare tertium consule idibus 44
Iuniis: excessit quarto et quinquagesimo anno, decimum
kalendas Septembris Collega Priscinoque consulibus. quod 2
20 si habitum quoque eius posterius noscere velint, decentior
quam sublimior fuit; nihil impetus in vultu: gratia oris
supererat. bonum virum facile crederes, magnum libenter.
et ipse quidem, quamquam medio in spatio integrae aetatis 3
ereptus, quantum ad gloriam, longissimum aevum peregit.
25 quippe et vera bona, quae in virtutibus sita sunt, impleverat,
et consulari ac triumphalibus ornamentis praedito quid aliud
adstruere fortuna poterat? opibus nimiis non gaudebat, 4